



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 12/03/I

B E A T I S S I M E P A T E R ,

Dominicus Carminati, O.F.M. Conv., Moderator Archiconfraternitatis S. Antonii, Defendens Carolus Belotti, O.F.M. Conv., Cappellanus, et Leonardus Di Ascenzo, Prior, Sanctitati Tuae reverenter exponunt: Statuta praedictae antiquissimae Archiconfraternitatis, ab Exc.mo Domino Marcello Costalunga, tunc Pontificio Delegato pro Basilica S. Antonii, die 22 Februarii 1994, comprobata sunt. Indulgentiarum donum ab Apostolica Sede olim concessum est. Nunc Rev.mi Oratores, una cum Exc.mo Domino Francisco Gioia, O.F.M. Capp., hodierno Pontificio Delegato, ex animo favente, necnon cunctis sodalibus eiusdem Arciconfraternitatis, humiles preces fidenter Sanctitati Tuae admovent, ut gratiam Plenariae Indulgentiae renovare dignetur etiam pro aliis christifidelibus, qui Oratorium Archiconfraternitatis, in Platea Sancti Antonii, Patavii situm, pie adeunt: ita, procul dubio, ipsi non ad proprios spiritales fines attingendos iisque generosius semper inserviendum magis instimulabuntur.

Et Deus, etc.

Dic 20 Ianuarii 2003

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, benigne concedit Plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (nempe Sacramentali Confessione, Eucharistica Communione et Oratione ad mentem Summi Pontificis) et excluso affectu erga quodcumque peccatum, singulis quibusque christifidelibus in Oratorio Archiconfraternitatis consequendam, dummodo sacram quamdam celebrationem participaverint aut saltem Orationem Dominicam et Symbolum Fidei devote recitaverint: in sollemnitate Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virg. (8 Decembris); necnon in liturgicis commemorationibus S. Antonii, presb. et Eccl. Doct. (die 13 Iunii) atque Translationis sacrarum eius exuviarum (die 15 Februarii).

Praesenti **in perpetuum** valituro.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

+ Alorius de Negri
Adiutor. Tit. Novellus -
Prot. Maior

Lac. Ioannes Maria Gervais
off. J. Gervais